An. et vol. XXXIV 1 Augusti 1942 (Ser. II, v. IX) – Num. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Chirographus, p. 217 – Litterae Apostolicae, p. 219 – Epistulae, p. 224.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I, II. Decreta, p. 230.

Acta Officiorum: *Pont. Commissio de re biblica*: Responsum, p. 232.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 50 — extra Italiam, *L. it.* 70 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4,50 extra Italiam, *L. it.* 5 —

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIV, n. 8 - 1 Augusti 1942)

ACTA PII PP. XII

CHIROGRAPHUS

PAG.

In Civitate Vaticana Institutum Caritatis Religionisque operibus tutandis conditur. – *27 Iunii 1942* 217

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Decessorum Nostrorum.* – Consociatio mulierum et puellarum catholicarum pro missionibus, in Pfaffendorf-Koblenz dioecesis Trevirensis, titulo « Pontificiae » decoratur. – *20 Aprilis 1942* 219

II. *Victoriensis dioecesis.* – Beata Maria Virgo, sub titulo « de Uribarri », quae in oppido « Durango » Victoriensis dioecesis veneratur, totius archipresbyteralis regionis Duranguensis Patrona coelestis declaratur. – *1 Maii 1942* 220

III. *Exponendum Nobis.* – Beata Maria Virgo Immaculata Vicariatus Castrensis Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum Patrona coelestis eligitur. – *8 Maii 1942* . . . 221

IV. *Expedit ut christifidelium.* – Beata Maria Virgo « Consolata » Taurinensis civitatis praecipua Patrona coelestis proclamatur. – *20 Maii 1942* 222

EPISTULAE

PAG.

I. *Intimo gaudio audivimus.* – Ad Emos PP. DD. Cardinales atque Excmos DD. Archiepiscopos et Episcopos Hispaniae. – *29 Iunii 1941* 224

II. *Denis transactis lustris.* – Ad Revmum P. Wlodimirum Ledóchowski, Generalem Societatis Iesu Praepositum atque ad Moderatores et alumnos Pontificii Seminarii Studiorumque Universitatis Comillensis: ob dena lustra ab eodem Seminario condito. – *5 Maii 1942* 228

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *S. Mariae Montis Oliveti Maioris.* – Decretum. De regimine Abbatiae *nullius* S. Mariae Montis Oliveti Maioris. – *17 Ianuarii 1942* 230

II. *Labacensis et Tergestinae.* – Decretum. De finibus. – *18 Aprilis 1942* 231

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA

Responsum. De experimentis ad prolytatum. – *6 Iulii 1942* 232

INDEX VERBORUM CODICIS IURIS CANONICI

Ab ARCTURO LAUER Heidelbergensi digestus

Typis Polyglottis Vaticanis MCMXXXXI. In-8° gr. Pp. XXXVI-936. Volumen partim corio partim linteo contectum L. 500

Index verborum Codicis Iuris Canonici eundem finem prosequitur, quem notissimae ***Concordantiae Sacrorum Librorum Vulgatae Editionis*** consimilesque concordantiae Textus Hebraici Sacrorum Librorum et versionis Septuaginta Interpretum. Partes tamen orationis in septem series digestae sunt; sub singulis autem vocabulis, alphabetico ordine in unaquaque serie dispositis, omnes enumerantur Codicis loci, in quibus illa recurrunt. Dum vero in memoratis concordantiis omnes quidem loci typis continuatim scripti sunt, sed praepositiones et ceterae particulae omissae, ne iam grande volumen litterarum copia nimis augeretur, Auctor ***Indicis*** ne minimam quidem particulam praetermisit, semel tantum vocabulum seu dictionem rescribendo atque omnes locutionum formas grammaticales ac syntacticas structuras per plura signa notando, vestigiis insistens C. Gradenwitz celebris iurisconsulti, qui ***Indicem Codicis Theodosiani*** aliosque rerum iuridicarum indices digessit, ita ut voluminis moles quam potissimum deminuta sit laborque investigationum allevatus, quippe quum, signis semel intellectis, ceteros locos, qui iuxta eadem signa ad rem non faciant, inspici non oporteat.

An. et vol. XXXIV 1 Augusti 1942 (Ser. II, v. IX) - Num. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CHIROGRAPHUS

IN CIVITATE VATICANA INSTITUTUM CARITATIS RELIGIONISQUE OPERIBUS TUTANDIS CONDITUR.

PIUS PP. XII

Il Nostro Predecessore di venerata memoria Leone XIII, nell'intento di custodire ed amministrare i capitali delle fondazioni pie, costituì, dopo attento studio affidato ad alcuni Signori Cardinali, una Commissione Cardinalizia che assunse il nome di Commissione *ad pias causas*, per il funzionamento della quale in data 11 febbraio 1887 approvò un Regolamento, che rimase in vigore fino a quando, nel 10 agosto 1904, il Nostro Antecessore Pio X, di santa memoria, ritenne opportuno approvare un nuovo Regolamento.

Nel 24 novembre del medesimo anno 1904 la Commissione *ad pias causas* prendeva il nome di Commissione Cardinalizia per le Opere di Religione, finchè nel 1908, quando per la Costituzione *Sapienti consilio* passarono alla Sacra Congregazione del Concilio, per la competenza attribuitale dalla medesima Costituzione Pontificia, alcuni compiti fino allora esercitati dalla suddetta Commissione Cardinalizia, la Commissione stessa cessava di essere Cardinalizia per divenire Prelatizia.

Sopravvenute esigenze amministrative indussero poi la Sacra Congregazione del Concilio, munita all'uopo di speciale mandato del venerato Nostro Predecessore Pio XI, ad approvare nel 10 febbraio 1934, in esperimento, uno Statuto per la Commissione Prelatizia Amministratrice delle Opere di Religione.

Successivamente, e cioè nel 17 marzo 1941, il Signor Cardinale Prefetto della medesima Sacra Congregazione del Concilio Ci propose per

l'approvazione, che Noi concedemmo, uno Statuto per l'Amministrazione delle Opere di Religione, nuovo nome assunto dalla Commissione anzidetta. Con questo Statuto l'Amministrazione fu affidata ad una Commissione di Signori Cardinali.

Una speciale adunanza di Signori Cardinali, tenutasi nel 18 gennaio del corrente anno 1942, ha poi espresso il voto che la ricordata Amministrazione delle Opere di Religione sia eretta in persona giuridica, allo scopo di dare ad essa un ordinamento più rispondente alla necessità dei tempi e di far apparire ancor più espressamente separata e distinta la responsabilità, che ognora la Santa Sede ha voluto nettamente disgiunta, dell'Amministrazione anzidetta da quella degli Uffici della Santa Sede.

Dopo matura considerazione avendo ritenuto di potere annuire a tale voto, abbiamo deciso di disporre, come con la Nostra Autorità disponiamo, quanto segue:

I. È fondato ed eretto nella Città del Vaticano l'Istituto per le Opere di Religione, il quale ha personalità giuridica ed assorbe l'Amministrazione delle Opere di Religione.

II. Scopo dell'Istituto è di provvedere alla custodia e all'amministrazione di capitali (in titoli od in contanti) e di immobili, gli uni e gli altri trasferiti od affidati all'Istituto medesimo da persone fisiche o giuridiche e destinati ad opere di religione e di cristiana pietà.

III. Le disposizioni dello Statuto per l'Amministrazione delle Opere di Religione, da Noi approvato nel 17 marzo 1941, rimangono in vigore e saranno applicate all'Istituto per le Opere di Religione, in quanto non siano in contrasto con il presente Nostro Chirografo e fino a quando non apparirà opportuno di riformarle.

La Commissione di Signori Cardinali, alla quale era affidata l'Amministrazione delle Opere di Religione, assume la vigilanza dell'Istituto. L'Ufficio Amministrativo dell'Amministrazione delle Opere di Religione diviene Ufficio Amministrativo dell'Istituto.

IV. Per tutti gli effetti giuridici l'Istituto è rappresentato congiuntamente dal Signor Cardinale Presidente dell'Ufficio Amministrativo e da Monsignor Segretario dell'Ufficio medesimo.

V. L'Istituto continuerà ad usare, a titolo di locazione, degli uffici fin qui occupati dall'Amministrazione delle Opere di Religione, e stipulerà all'uopo un contratto con l'Amministrazione dei Beni della Santa Sede.

VI. Qualsiasi disposizione contraria al presente Nostro Chirografo è abrogata.

VII. Il presente Nostro Chirografo sarà pubblicato negli *Acta Apostolicae Sedis*.

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Vaticano, il giorno 27 giugno 1942, quarto del Nostro Pontificato.

PIUS PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

I

CONSOCIATIO MULIERUM ET PUELLARUM CATHOLICARUM PRO MISSIONIBUS, IN PFAFFENDORF-KOBLENZ DIOECESIS TREVIRENSIS, TITULO « PONTIFICIAE » DECORATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Decessorum Nostrorum insistentes vestigiis, quae in orbe catholico sodalicia ob navitatem in religionis rebus provehendis excellere videantur, ea consuevimus peculiaribus titulis privilegiisque locupletare, ut ea christifideles quo maiore fieri potest ardore ad se alliciant. Hoc ducti consilio annuendum censemus precibus Venerabilis Fratris Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Ostiensis atque Albanensis Episcopi, qui Nos rogat ut ad bonum decusque promovendum Consociationis mulierum puellarumque catholicarum pro missionibus, quae iam intra Trevirensis dioecesis fines in « Pfaffendorf » prope Confluentes a pia foemina Catharina Schynse valde utiliter constituta est, nunc Consociationem eandem titulo Pontificiae honestare velimus. Quapropter praesentium Litterarum tenore, apostolica Nostra auctoritate perpetuumque in modum memoratam « Mulierum puellarumque catholicarum pro missionibus Consociationem » titulo *Pontificiae* decoramus, cum omnibus iuribus, honoribus privilegiisque quibus ceteri coetus hoc titulo cohonestati utuntur, fruuntur vel uti, frui possunt ac poterunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec benigne largimur, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, enunciataeque Consociationi pro missionibus fovendis nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Aprilis, an. MCMXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status*.

II

BEATA MARIA VIRGO, SUB TITULO « DE URIBARRI », QUAE IN OPPIDO « DURANGO » VICTORIENSIS DIOECESIS VENERATUR, TOTIUS ARCHIPRESBYTERALIS REGIONIS DURANGUENSIS PATRONA COELESTIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Victoriensis dioecesis intra fines, in oppidi « Durango » nuncupati templo archipresbyterali, Imago quaedam Beatae Mariae Virginis religiosissime colitur sub populari titulo « de Uribarri », quam tradunt iam saeculo decimo in pervetusto ducum Cantabriae castro, ac sequentibus Medii Aevi temporibus in parvo sacello, quod pietatis causa huic castro propinquum regionis incolae exstruxerant, adservatam fuisse. Postea vero loco veteris aedificii, quod parvitatem ob suam plane insufficiens erat ad numerum christifidelium continendum, qui illuc turmatim confluebant praesentem thaumaturgae Virginis opem imploraturi, hodiernum templum oppidanorum ac Municipii cura exaedificatum est, quod dein, belli hispanici causa, labefactatum ignique vastatum Duranguenses illico instaurare ac magnifice complere voluerunt, ita ut nunc venerandam Beatissimae Virginis ab Uribarri Imaginem, in pristinam dignitatem denuo restitutam, christifideles sicut antea invisere ac venerari queant. Constat enim popularium loci non modo in patria sed in America quoque degentium in Deiparam ardorem adeo auctum esse, ut nullus sit Duranguensis qui non deferat peculiares Eidem reverentiae cultusque significationes Eandemque apud Deum validissimam protectricem invocet. Itaque cum Venerabilis Frater Episcopus titulo Siandensis, Apostolicus Victoriensis Dioecesis Administrator, tum nomine proprio tum cleri populique oppidi « Durango » nuncupati et finitimae regionis archipresbyteralis, Nos enixe postulet ut memoratam Beatissimam Virginem de « Uribarri » peculiarem ipsius oppidi apud Deum Patronam constituere dignemur, Nos ad magis magisque in dies fovendam atque augendam populi venerationem pietatemque erga Deiparam sub titulo memorato excultam, huiusmodi precibus ultro libenterque annuendum censemus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam sub enunciato titulo de « Uribarri » praecipuam apud Deum *Patronam*

oppidi « Durango » nuncupati ac finitimae archipresbyteralis regionis declaramus et constituimus, omnibus et singulis liturgicis privilegiis atque honorificentiis adiectis, quae praecipuis locorum Patronis coelestibus competunt; itemque decernimus ut in perpetuum die decima quinta mensis Augusti Festum patronale quotannis celebretur. Praeterea cum ipse Praesul Victoriensis dioecesis Administrator, vota quoque tum sua tum cleri, magistratuum populique Duranguensis Nobis proponens, a Nobis etiam efflagitaverit ut Imaginem eandem corona Nomine Nostro redimiri decerneremus, Nos, cum pulcherrima hac uti opportunitate velimus, optatis huiusmodi pariter benigne annuentes, apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi, ipsi Venerabili Fratri Episcopo titulo Siandensi, Victoriensis dioecesis Apostolico Administratori, eas partes committimus ut Imaginem Beatissimae Mariae Virginis « de Uribarri » in archipresbyterali templo Duranguensis servatam, per se ipsum vel per ecclesiasticum virum in dignitate constitutum et ab eodem deputandum, post sollemnia Missarum, iuxta ritum formulamque praescripta, die ab eodem statuendo, aureo diademate, nomine atque auctoritate Nostris, sollemniter redimiat. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec concedimus, largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die 1 m. Maii, an. MCMXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

III

BEATA MARIA VIRGO IMMACULATA VICARIATUS CASTRENSIS FOEDERATARUM AMERICAE SEPTEMTRIONALIS CIVITATUM PATRONA COELESTIS ELIGITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Exponendum Nobis nuper curavit Venerabilis Frater Neo-Eboracensium hodiernus Archiepiscopus, qui etiam Vicarii Castrensis in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus munere fungitur, sibi admodum esse in votis ad pietatem religio-

nemque catholicorum militum Exercitus earundem Civitatum augendam, ut peculiaris eisdem coelestis constituatur Patronus, quo spirituali eorundem militum bono opportunius quoque consulatur. Apostolico vero Nos exardescentes studio, cum ex ipsa institutione uberrimi religionis fructus colligi reapse possint validumque praeterea in continentibus suae vitae periculis milites iidem subsidium excipere, precibus memoratis, quos amplissimis quoque Noster in Civitatibus Americae Septemtrionalis Foederatis Delegatus Apostolicus suis commendationibus auget, nunc annuendum ultro libenterque censemus. Conlatis itaque consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Immaculatam memorati Vicariatus Castrensis coelestem apud Deum Patronam declaramus et constituimus, omnibus adiectis privilegiis iuribusque, quae huiusmodi Patronatus propria sunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec vero quae minime dubitamus quin eodem Vicario Castrensi auspice in spirituale catholicorum militum memoratae regionis emolumentum plane benevertant edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, sive pertinere poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII m. Maii, an. MCMXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

IV

BEATA MARIA VIRGO « CONSOLATA » TAURINENSIS CIVITATIS PRAECIPUA PATRONA COELESTIS PROCLAMATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Expedit ut christifidelium erga Beatissimam Virginem Mariam ubique cultui ac devotioni opportune provideatur; Deiparae sane e materno gremio quasi e fonte perenni innumerabiles emanant in plebem christianam gratiae; ideoque, hoc ducti con-

silio, benigne excipienda censemus vota Taurinensium, qui, iam inde ab Aevo Medio Beatae Virginis « Consolatae » patrocinio suffulti, Eandem tanquam peculiarem suorum ipsorum Patronam firme semper ardenterque retinuerunt. Ad Nos revera Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Taurinensium Archiepiscopus refert, — quod et omnibus notum est — Augustae Taurinorum antiquum Virginis Consolatae Sanctuarium pluries per saecula magnifice renovatum ampliatumque esse ut religioso civium amori satius responderet; additque ipse Purpuratus Pater adeo animorum pietatem, postremis hisce praecipue temporibus, auctam esse, ut nulla sit in urbe domus, quae Consolatae Imagine careat, Taurinensis fere nulla familia quae Eidem non deferat peculiares suae deferentiae cultusque significationes, die praesertim Sabbati Magnae urbis Dominae devote dicato, cum eo ipso die cuiusvis ordinis cives turmatim ad Sanctuarium devote confluant vel opem Virginis imploraturi, vel grates Eidem accepta ob beneficia habituri. At non modo popularium fides in Consolatam praeteritis temporibus floruit hodieque summopere floret, sed Domus quoque e Sabaudia reges, principes, ducesque singulari cultu Deiparam sub ipso titulo prosecuti sunt, ita ut Eadem ipsiusmet Domus Statuumque Sabaudiae publicis etiam decretis habita sit Patrona, quam pari nomine in civitate sua Decurionum Coetus Taurinensis saeculo decimo octavo ineunte elegerant. Itaque cum nunc clerus populusque nobilissimae urbis memoratae omnino quidem exoptent ut etiam a Nobis publice sollemniterque coelestis Patronatus huiusmodi tandem agnoscatur; suffragiisque amplissimis suis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Taurinensium Archiepiscopus eadem vota augeat; Nos, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Praenestino Episcopo Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam vulgo « Consolatam » nuncupatam civitatis Taurinensis coelestem apud Deum *Patronam* praecipuam constituimus et confirmamus, iuribus omnibus privilegiisque adiectis liturgicis, quae huiusmodi coelestis Patronatus propria sunt. Haec benigne largimur, cum dubium quidem non sit Nobis quin magni momenti fructus pro spirituali ac temporali omnium Augustae Taurinorum degentium bono sint inde exspectandi; decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si

quidquam secus, super his, a quovis auctoritate qualibet scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX m. Maii, an. MCMXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULAE

I

AD EMOS PP. DD. CARDINALES ATQUE EXCMOS DD. ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS HISPANIAE.

PIUS PP. XII

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Intimo gaudio audivimus, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, vos sollerter in id animum intendere ut Disciplinae Regulae Studiorumque Ratio, quas Episcoporum Coetus ad hoc delectus, diligenter commentatis Apostolicae Sedis hac de re documentis, nuper accurate naviterque digessit, in Seminariis vestris ad effectum adducantur, petita prius per Sacram Congregationem Seminariis et Studiorum Universitatibus praepositam confirmatione Nostra. Quod quidem consilium et luculenter probat pastoralem vestram sollicitudinem in bonum gregis vobis a Deo concrediti, et sincerum iterum patefacit obsequium, quo votis optatisque Apostolicae Sedis obsecundatis, ut, dum curas laboresque vestros ad bonos Christi milites fingendos comparandosque referatis, eorum Pastorum decora qui Hispaniae Ecclesiam per longum aevi spatium collustrarunt, per vos perpetua maneant ac vigeant.

Semper enim, una cum clarissimis Conciliorum Hispanorum patribus atque eorum successoribus Episcopis, nobilissimi floruerunt sacerdotes, illorum doctrina exemplisque exculti, pietatis virtute scientiaeque nitore summopere laudabiles; qui quidem sal atque lux fuerunt hispani populi cui Deus, donorum omnium largitor, singulare munus concredidit per plura saecula fidei religionisque defensorem fieri eumdemque Evangelio novis gentibus praeconem; quod profecto divinam fuisse opinamur mercedem fidelitatis perpetuae iugiter a fidelibus clero suo praestitae. Neque temere credimus idcirco accidisse, ob catholicam nempe fidem integram incorruptamque tum a clero tum a populo hispanico servatam, ut Divina Providentia duos illos Ordines Religiosorum virorum istic suscitarit, qui sacrae doctrinae provehendae fideique ab omnimodis impu-

gnationibus vindicandae validissimam conferrent opem, Ordinem dicimus Fratrum Praedicatorum et Societatem Iesu; utque, exturbatis alibi divinarum rerum studiis, ob grassantes ac saevientes errores, asylum ac refugium iisdem studiis apud vestram gentem paraverit.

Namque Hispaniae Episcopi simul ac Sacrosancta Tridentina Synodus Seminaria condenda esse decrevit, quibus, ex novarum rerum temporumque adiunctis, ratione ac methodo quam aptissimis sacerdotes compararentur tum litterarum disciplinarumque ornamentis, tum virtutum laude egregii atque excellentes, nullis pepercerunt laboribus — superatis etiam non paucis nec levibus difficultatibus — ut decretum eiusmodi ad effectum salubriter deducerent, atque adeo in sua quisque dioecesi Seminarium Conciliare conderent.

Longum est omnes commemorare, tamen praetermittenda non sunt veneranda nomina sancti Toribii a Mogrovejo atque Beatorum Ioannis de Ribera et Antonii Mariae Claret Episcoporum, quos Ecclesia Sanctorum vel Beatorum Coelitum honoribus auxit, nec non — inter innumeros sacrorum alumnos, quos Tridentina Seminaria educarunt — Sancti Iosephi Oriol, sanctitatis et sacerdotalis apostolatus praeclarissimi, atque Iacobi Balmes, virtute et scientia maxime nobilis, qui apologeticae quae dicitur disciplinae viam primus aperuit gloriosam.

Atque in Seminariorum alumnis illos quoque memorare libet, qui postea nostrae huius aetatis Episcopi ac Sacerdotes, insigne fuerunt Ecclesiae et Civitatis decus, quique catholicos hispanos tam in fide fortes reddiderunt, ut teterrimam huius temporis contra sanctissimum Christi Nomen insectationem irruentem superare valuerint, ac mirabile mundo praebuerint fortitudinis mansuetudinisque exemplum, ponentes etiam animam suam in confessione fidei, caritate pro fratribus urgente animum.

Quorum sacrificium, ex Dei amore oblatum, fructus iam affert uberrimos, cum eorum sanguis, haud aliter ac sanguis priscorum martyrum, innumeras animas Deo concilians, semen fiat sanctarum vocationum ad ecclesiasticos capessendos ordines. Quae quidem vocationes testantur fidem, nequidquam horrenda insectatione vexatam vel tentatam, fermentum fieri quo, christiano nomine in vestra Natione iterum instaurato, vita omnium conformetur ac dirigatur ad munus quod Divinae Providentiae nutu, viribus collatis cum ceteris Nationibus mutua pace et concordia, Hispania susceperit implendum.

Ipse « Dominus messis » mittet utique vobis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, adulescentulos qui, a vobis comparati atque instituti, vastatae vineae suae boni evadant operarii ex optatis Iesu Christi Eiusque Ecclesiae Sanctae.

Qua de causa, Nos in comperto habentes vestrum, quo Seminaria prosequimini, fervens studium, in magna spe sumus vos dilectis hisce adulescentibus, paterno animo exceptis, institutionem esse impertituros consentaneam et quam maxime hodiernis fidelium necessitatibus accommodatam; dum vobis cordi erit eorum animos ea pietate imbuere, quae ad omnia utilis sit, quaeque eos moneat de sanctissimis clericorum officiis, atque imitatores constituat Iesu Christi, cuius et ministri erunt et, arcana quadam societatis necessitudine, amici.

Etenim si ab omni sacerdote id procul dubio requiritur ut videatur ac reapse sit « perfectus homo Dei ad omne bonum opus instructus » (II Tim. 3, 17), eo vel magis hoc est ab Hispaniae sacerdotibus expostulandum, utpote ab adiutoribus vestris non in Sacramentis dumtaxat administrandis, sed in caritatis operibus potissimum exercendis, quae Ecclesia tanquam ius et officium sibimet ipsi proprium iure vindicat, ut per suos administros dolores consolando levet, amara leniat vulnera, duram soletur inopiam egestatemque : utque sollertem operam praestet ad pacandos animos, ad fideles confortandos, ad revocandos denique in maternos suos amplexus omnes, quotquot sive falsis opinionibus et erroribus circumventi sive imbecillitate ac infirmitate oppressi, ab ea recesserint.

Itaque necesse est ut quilibet sacerdos, deposita quavis saeculi sollicitudine remotoque omnino partium factionumque studio atque intestina discidia penitus adhorrens, fieri nitatur « bonus miles Christi... non implicans se negotiis saecularibus, ut placeat cui se probavit » (II Tim. 6, 3-4), sibi et doctrinae attendat ut sectans « iustitiam, pietatem, caritatem, patientiam, mansuetudinem » (I Tim. 6, 11), « in omnibus semetipsum praebeat exemplum bonorum operum, in integritate, in gravitate... ut is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de nobis » (Tit. 2, 7-8).

Ad haec omnia assequenda plurimum profecto conferent Disciplinae Regulae, vestris Seminariis datae, quas peculiaribus illorum necessitatibus et condicionibus aptiores fieri vestri erit pastoralis muneris.

Instructis vero ad pietatem et virtutem alumnis, opus est ut ea eruditio in disciplinis litterisque ab iisdem comparetur, qua postea efficaciter ac fructuose sacro ministerio apud omnes civium ordines fungi valeant, quandoquidem oportet ut sacerdos non modo sacram doctrinam undequaque calleat, sed ea quoque non ignoret, quae generatim ac in universum exculti suae nationis homines norunt, quibus quidem suo ipsorum loquendi modo facile utens ac congrua mentibus eorum atque captui idonea edisserens, fidei cibum porrigat, semper tamen se praebens

« bonum ministrum Christi enutritum verbis fidei et bonae doctrinae » (I Tim. 4, 6), « recte tractantem verbum veritatis » (II Tim. 2, 15).

Ad id haec Studiorum Ratio spectat, maximo procul dubio futura vobis adiumento; quam tamen non ut exemplar undique absolutum, sed ut augendum in dies et perficiendum suscipietis, praesertim in litterarum disciplinarumque studiis, simul ac temporum adiuncta id postulaverint, ratione etiam habita eorum quae Civitas in suis scholis instauranda vel immutanda censuerit.

Arduum sane opus esse, quod aggredimini, Nos minime latet: Deum igitur enixe precamur qui vobis actuose volentibus adsit; atque lumen gratiae suae vobis impertitus, tum Moderatores et Magistros vere idoneos atque iuvenes in Ecclesiae spem succrescentes praestet, tum fideles permoveat ut generoso animo ac munifica manu opem auxiliumque vobis praebeant ad ea omnia, quae tanto operi moliendo sive pro aedificandis aedibus sive pro instruendis alumnis omnino sint necessaria.

In quo vobis erit firmissimo efficacissimoque subsidio Opus Ecclesiasticarum Vocationum, in pluribus Dioecesibus iam conditum, — utinam quam primum in omnibus! — quo edocti fideles quam excelsum sit Sacerdotium Catholicum, quam necessarium agnoscent; itemque animadvertent qua urgeantur necessitate, utpote Christi Corporis Mystici membra, curas cogitationesque non modo, sed perseverantes etiam preces corrogatamque stipem in id conferendi, ut Ecclesia bonos intercessores apud Deum et Patrem populo ipsi dare queat.

Actioni vero Catholicae, quae tam impenso studio sanctissimum Opus hoc fovet, volumus sensus grati animi Nostri patefieri, simulque ipsam instantissime exhortari et excitare ut nullo non tempore incrementum progressionemque huius Nobis acceptissimi Operis semper sibi cordi quam maxime esse velit.

Nunc denique Nos iuvat magnam animi Nostri spem Nostraeque fiduciae vota idcirco palam facere ut nimirum summus Nationis Hispanicae Moderator eiusque Consiliarii et Administri, qui de prosperitate et profectu suae gentis solliciti, pro clero educando adiutricem manum libenter ultroque iam apposuere, etiam in posterum in hanc rem operam praestent admodum laudabilem, cum probe noverint in bonum populi semper cedere et ad eius vitae cultum augendum, ad mores recte conformandos atque ad doctrinae instituta elevanda et amplificanda, quidquid iidem pro maxima ipsis potestate facta, ad hunc finem facilius assequendum, Ecclesiae benevole tribuerint.

Interea vero id unum superest, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, ut ferventissimo animo effusis ad Deum precibus, Nostrorum

vestrorumque optatorum pignus et auspicium tum vobis singulis, tum Sacerdotibus vestris, Seminariorum alumnis ac fidelibus universis, vestrae curae concreditis, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertiamur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIX mensis Iunii, in festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, anno MCMXLI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

II

AD REVM̃UM P. WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI, GENERALEM SOCIETATIS IESU PRAEPOSITUM ATQUE AD MODERATORES ET ALUMNOS PONTIFICII SEMINARII STUDIORUMQUE UNIVERSITATIS COMILLENSIS: OB DENA LUSTRA AB EODEM SEMINARIO CONDITO.

PIUS PP. XII

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Denis transactis lustris, postquam ex munifica nobilissimae familiae largitate Decessor Noster fel. rec. Leo XIII Pontificium Seminarium apud Comillas condidit, est profecto cur non modo sacrorum alumni, qui inibi rite instituuntur, non modo inclita Societas Iesu, cuius prudenti sapientique regimini hoc studiorum domicilium demandatum est, sed Hispaniae etiam Episcopi populusque universus, eiusmodi faustitatem commemorantes, immortales Deo grates agant ob tot tantaque inde orta beneficia. Etenim, quamvis interdum, per emensum hoc annorum spatium, ob rerum angustias difficultatesque non paucas pacificus vitae cursus Instituti huius vel retardaretur, vel quasi interciperetur — quod quidem ob gravissimam praesertim eversionem accidit, qua nobilissima Hispanorum Natio paucis abhinc annis conflictata est — nihilo secius ita bonarum artium sacrarumque disciplinarum studium, una cum sedulo virtutis cultu, in iuvenum animis effloruit ac viguit, ut ex Comillensi Universitate lectissimorum sacerdotum agmina proficiscerentur, qui vel in propria quisque Dioecesi, vel apud exteras regiones uberi cum fructu demandata sibi munia obirent. Quibus quidem in sacerdotalibus obeundis muneribus nonnulli ita virtute, scientia, prudentique agendarum rerum usu sese comprobarunt, ut digni haberentur, qui Episcopali augerentur dignitate; atque interdum etiam, Romanae purpurae maiestate decorati, in Sacrum Ecclesiae Collegium cooptarentur. Nec defuere qui a catholici nominis osoribus iniuste hostiliterque habiti, invicto animo insectationem eiusmodi perpeterentur; ac christifidelibus in exemplum praestantes, tam mordicus Iesu Christi fidem retinerent, tam strenue Catholicae Ecclesiae

iura defenderent, ut suum potius sanguinem profunderent, quam susceptam sanctissimam causam vel proderent, vel derelinquerent. Quae omnia si Pontificii huius Seminarii alumni moderatoresque grato erga Deum animo repetunt atque perpendunt, ii profecto non modo ex hac celebratione habent quare superno afficiantur gaudio, sed cur etiam laeta faustaque auspicia sumant, quibus ad maiora usque in Dei gloriam exantlanda animentur atque excitentur. In sacras omnes disciplinas rite tradendas riteve addiscendas, in errores omne genus, qui cotidie fucati veritatis specie renascuntur, refellendos profligandosque, in sacrosancta denique Ecclesiae iura pro viribus tuenda, alacri voluntate seduloque studio incumbant. Ac quandoquidem Comillense Institutum nomine et re Pontificium est, idcirco illud omnes peculiari modo sibi creditum officium habeant, quidquid nempe de fide ac moribus Apostolica haec Sedes doceat, moneat, iubeat, id omne dedito obedientique animo accipere, ac ceteris etiam, aptiore quo detur modo, illustrare ac commendare. At si opus omnino est ut sacrorum alumni recta sanaque doctrina valeant ac praestent, multo quidem magis necesse est, ut virtute sanctitateque eniteant, qua dempta, inflat scientia, non aedificat. Quamvis igitur pernoscamus — idque magno Nobis solacio sit — ad utramque rem assequendam actuose allaborare ac contendere Comillensis Universitatis discipulos, cupimus tamen eos paterno adhortari animo ut, sapienti praeceptorum suorum magisterio ac regimine ducti, non tantum ad sacra capessenda munia doctrina cotidie altiore conformentur, sed virtuti potissimum, imprimisque pietati, tam impensa exercitatione assuescant, ut ad eam non tam instituti, quam veluti nati videantur. Ita profecto fiet ut Episcopi, qui eos in suam Dioecesim aliquando excipient, ex eorum sibi praestita navitate suum cuiusque pastorale munus sentiant multo esse ad gerendum facilius, ad utilitatem uberius. In praesens autem, dilecti Filii, antequam scribendi finem facimus, placet Nobis, hanc opportunitatem nactis, iura omnia ac privilegia, quae Decessores Nostri — ac nominatim Leo XIII per Apostolicas Litteras *Sempiternam dominici gregis* d. d. XVI mensis Decembris, anno MDCCCLXXXX — Comillensi Seminario studiorumque Universitati concessere, Apostolica auctoritate Nostra confirmare. Ac caelestium interea gratiarum auspicem, peculiarisque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, dilecte Fili, tum singulis universis eiusdem Seminarii moderatoribus et alumnis Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die V mensis Maii, anno MDCCCCXXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

S. MARIAE MONTIS OLIVETI MAIORIS

DECRETUM

DE REGIMINE ABBATIAE « NULLIUS » S. MARIAE MONTIS OLIVETI MAIORIS

Abbatia *nullius* S. Mariae Montis Oliveti Maioris nuncupata, cum saltem tribus paroeciis haud constet, iure singulari, ad normam can. 319, § 2 Codicis Iuris Canonici, regitur, quod Apostolica Constitutione *Credita divinitus* a f. r. Clemente XIII die 18 Ianuarii 1765 data continetur.

Quum vero eiusdem normae minus cum iuris canonici dispositionibus concordent, neque omnia caveant quae ad ecclesiasticum regimen, disciplinam et administrationem attinent, Ssmus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII benigne statuit, praesenti Consistoriali Decreto, ut pro eadem Abbatia *nullius* leges vigentis Codicis I. C., congrua congruis referendo, applicentur; abrogatis proinde memoratae Constitutionis praescriptis, quatenus a iure communi discrepent. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 17 Ianuarii 1942.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. ✠ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

II

LABACENSIS ET TERGESTINAE

DECRETUM

DE FINIBUS

Quum in Constitutione Apostolica *Quo Christifideles facilius* diei 10 Februarii a. 1933, qua novi fines statuti sunt inter dioeceses Labacensem et Gurcensem ex una parte et Utinensem, Goritiensem et Tergestinam ex altera parte, iuxta fines politicos Italiae, nulla mentio facta sit quorumdam pagorum qui ad paroeciam *Planina* dioecesis Labacensis pertinebant, dubium aliquod exortum est num ipsi ad dioecesim Tergestinam, a qua hactenus administrati sunt, pertinerent.

Quapropter Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, praesenti Consistoriali Decreto, declarat et quatenus opus sit confirmat *Ecclesiam filialem* pagi *Planiska gora*, atque pagos *Vrhu Grmade* apud *Grčarevec* et *Colmisario* dismembrata esse a paroecia *Planina* dioecesis Labacensis et aggregata paroeciae *Studeno* dioecesis Tergestinae; necnon pagos *Caccia* (*Kacjavas*), *Vrh*, *S. Canziano*, *Malni*, *Debeli Kamen* atque *stationes* viae ferreae vel militares iuxta vias *Postumia-Caccia* et *Postumia-Debeli Kamen* intra fines politicos Italiae, separata esse a praedicta paroecia *Planina* et attributa paroeciae *Postumia* dioecesis Tergestinae.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 18 Aprilis 1942.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis*.

L. ✠ S.

V. Santoro, *Adsessor*.

ACTA OFFICIORUM

COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA

RESPONSUM

DE EXPERIMENTIS AD PROLYTATUM

Cum quaesitum fuerit utrum in examinibus ad Prolytatum seu Licentiatum coram Pontificia Commissione Biblica habendis, varia experimenta, sive oralia sive scripta, quae iuxta statuta in eadem sessione fieri solent, ita dividere liceat, ut etiam sat magnum intervallum inter ea habeatur, eadem Pontificia Commissio Biblica respondit:

Affirmative. Ita tamen ut prius fiant examina linguarum hebraicae et graecae, una cum universa introductione speciali et quidem ore (*Ench. Bibl.*, nn. 355, 356, 358). Quibus experimentis feliciter superatis, Candidatus declarabitur *Baccalaureus*.

Superatis vero ceteris experimentis programmatis (ibid., nn. 352, 353, 354, 357 et 359), conferetur gradus *Prolytatus*.

Quod responsum Ssmus D. N. Pius Pp. XII, in audientia die 6 Iulii an. 1942 infrascripto Revmo Consultori ab Actis benigne concessa, ratum habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, 6 Iulii 1942.

Iacobus M. Vosté, O. P., *Consultor ab Actis.*

STATISTICA

degli Ordini e delle Congregazioni Religiose maschili e femminili di DIRITTO PONTIFICIO secondo la Relazione Quinquennale presentata alla Sacra Congregazione dei Religiosi. Seconda Edizione. Tipografia Poliglotta Vaticana, 1942. In-8°, pp. 122. Lire 25 —

MARTYROLOGIUM ROMANUM

Gregorii Papae XIII iussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum, ac deinde a. MDCCXLIX Benedicti XIV opera ac studio emendatum et auctum.

Secunda post typicam editio, iuxta primam a typica editionem a. MDCCCCXXII a Benedicto Papa XV adprobatam, propriis recentium sanctorum officiorumque elogiis expleta, Sacrae Rituum Congregationis curis impressa.

— **Editio in-4°** (cm. 29×20 ½), **in charta manufacta et charactere rubro nigro, fol. CXXIV-566.**
Romae L. 70 — In Italia L. 70 — Apud exteros L. 85 —

— **Volumen partim corio, partim linteo contectum, cum titulo aureo.**
Romae L. 100 — In Italia L. 100 — Apud exteros L. 115 —

MARTIROLOGIO ROMANO

pubblicato per ordine del Sommo Pontefice Gregorio XIII, riveduto per autorità di Urbano VIII e Clemente X, aumentato e corretto nel MDCCXLIX da Benedetto XIV

Nuova edizione italiana tradotta dall'ultima edizione latina Vaticana del 1930. In-8°, pp. XVI-400, stampa in nero e rosso, carta buona ben satinata.
In Roma L. 20 — (E) In Italia L. 22 — Per l'estero L. 27 —

Legato in pelle e tela nera, angoli in pelle, titolo, taglio rosso:
In Roma L. 36 — In Italia L. 38,50 Per l'estero L. 42 —

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO **PETRI Card. GASPARRI.** Editio nova ad mentem Codicis I. C. - Vol. I, pp. 472 - Vol. II, *cum alligatis. In brochure,* pp. 620	50 —	53 —	60 —
Volumina partim corio, partim linteo contecta, cum titulo aureo .	82 —	85 —	92 —
CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos ab anno 1917 ad annum 1935 data, et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta (pag. VIII-228), addita *Appendice* ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38)	12 —	13 —	14,50
— *Linteo contectum*	19 —	20 —	21,50
— **Appendix,** ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38), in-8° . . .	2 —	2,50	3 —
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **INSTITUTIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI.** (Typis Polyglottis Vaticanis). Vol. I. **Ius publicum internum** (Ecclesiae constitutio socialis et potestas). Editio altera emendata et aucta, 1935. In-8°, pp. VIII-510	27 —	28,50	32 —
Vol. II. **Ius publicum externum,** 1936, pp. 540	28 —	29,50	33 —
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **COMPENDIUM IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI AD USUM AUDITORUM S. THEOLOGIAE.** In-8°, pp. VIII-510 (Typis Polyglottis Vaticanis) 1936.	20 —	21,50	25 —
I due primi REGISTRI DI PRESTITO DELLA BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA, codici Vaticani latini 2964 e 2966, pubblicati in fototipia e in trascrizione con note e indici a cura di Maria Bertola, 1942 (Codices e Vaticanis selecti; Series maior. Vol. XXVII). Pp. XX-158, pp. 132 di autografi	400 —	404 —	410 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis„
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — c/c postale N. 1-16722*)

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
MISSALE ROMANUM. Quinta editio post typicam. In-8° grande. In caratteri neri e rubriche in corsivo (cm. 17×26):			
— In fogli sciolti	36 —	39 —	46 —
— (A) Legato in mezza pelle e tela, fogli rossi, segnacoli	75 —	78 —	85 —
— (B) Idem, id., fogli oro	90 —	93 —	100 —
MISSALE ROMANUM. Quarta editio post typicam. Caratteri rossi e neri (cm. 22×31);			
— In fogli sciolti	85 —	90 —	110 —
— (A) Legato in mezza pelle e tela, fogli rossi	160 —	165 —	185 —
— (B) Legato in mezza pelle e tela, fogli oro	180 —	185 —	205 —
BREVIARIUM ROMANUM (totum). Quarta editio post typicam (mm. 176×111). In-12°			
— In fogli sciolti	75 —	77 —	82 —
— (A) Legato in pelle, cucitura fortissima, fogli rossi	120 —	122 —	129 —
— (B) Legato in pelle, cucitura fortissima, fogli oro	130 —	132 —	137 —
RITUALE ROMANUM. *Editio typica* In-18° (mm. 125×76):			
— In fogli sciolti	17 —	19 —	20 —
— (A) Legato in tela nera, taglio rosso	25 —	27 —	28 —
— (B) Legato in tela nera, taglio dorato	30 —	32 —	33 —
RITUALE ROMANUM. *Editio I post typicam* (mm. 156×93).			
— In fogli sciolti	25 —	27 —	29 —
— (A) Legato in tela nera, taglio rosso	32 —	34 —	36 —
— (B) Legato in tela nera, taglio dorato	38 —	40 —	42 —
RITUALE PARVUM cum variis benedictionum formulis. Caratteri neri (mm. 120×71). In fogli sciolti	3,50	4 —	4,50
— (A) Legato in tela, taglio rosso	6 —	6,50	7 —
HORAE DIURNAE breviarii romani. Editio secunda post typicam (mm. 135×85):			
— In fogli sciolti	17 —	19 —	20 —
— (A) Legato in tela, fogli rossi	25 —	27 —	28 —
— (B) Legato in tela, fogli dorati	30 —	32 —	33 —
LAUDES FESTIVAE Lectionarium et Cantarium pro diversitate temporum et festorum. Composuit collegit edidit P. Beatus Reiser, O. S. B. Editio secunda aucta manuscripti instar. 1941, in-12°, pp. XXVII-341. In fogli piegati	25 —	26 —	28 —
— Non legato	26 —	27 —	29 —
— Legato in tela	32 —	33 —	35 —
DE RELIGIOSIS, ad normam Codicis Iuris Canonici, edidit P. Timotheus Schaefer O. F. M. C. Editio tertia aucta et emendata. 1940. In-8°, pp. 1370	94 —	97 —	106 —
LA CURIA ROMANA. Cenni storico-giuridici di **Niccolò Del Re.** In-8°. pp. 200 (Storia e attualità del complesso organismo direttivo della Chiesa Cattolica).	20 —	21,50	25 —
MERCATI ANGELO. **IL SOMMARIO DEL PROCESSO DI GIORDANO BRUNO** con appendice di documenti sull'eresia e l'inquisizione a Modena nel secolo XVI. Pp. 155 (*Studi e Testi*, n. 101)	65 —	67 —	70 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"**
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/c postale N. 1-16722)